



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Clara Et Praeclara Methodus Parandæ Eloquentiæ,
Secundùm Doctrinam & Præcepta Cypriani Soarii è
Societate Jesu, Ad Captum Et Praxim Faciliorem
Accommodata**

Worpitz, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Appendix ad Caput 10. Exempla Metaphoræ ex sacris litteris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68908)

Appendix ad caput 10.

Exempla metaphoræ ex sacris literis.

Confert troporum notitia non solum ad eloquentiam, sed etiam ad scripturæ sacræ sensum indagandum, & cognoscendum. Tropis enim ut plurimum usus Spiritus Sanctus, tum ad res intellectum nostrum excedentes melius declarandas, tum ad obvelanda mysteria, quæ passim nota esse non voluit, nè margaritæ projicerentur ante porcos, gentiles scilicet & improbos, tū ut multipliciorum expositione Doctorum, & SS. Patrum ingenia exercerentur, ac multiplex eruditio sacra, ex multiplici expositione emanaret. Hujus verò cognitio cum sit utilissima iis præsertim, qui ad Ecclesiasticum statum aspirant, vel conciones audiunt, adjungam in sequentibus aliqua ex sacris litteris exempla, ut ignorantium cesset admiratio in scripturæ sacræ lectione vel auditione, & ut viam habeant ad plura per se investiganda & cognoscenda. Et metaphoram quidem quod attinet, ejus usus est frequentissimus in sacra Scriptura. Sic enim Christus vocatur Leo de tribu Juda, petra, lapis angularis, lapis abscessus sine manibus, via, ostium, lux mundi, vitis vera, pastor, panis vitæ, in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, & ipsa Sacramenta per similitudinem in sua materia referunt visibilliter, quod gratia facit, & operatur in anima
invi

invisibiliter. v. g. aqua in baptismo, oleū in extrema unctiōe, panis species in Eucharistia: nam sicut aqua lavat à sordibus corpus, ità gratia baptismalis à sordibus peccati, præsertim originalis, abluit animam; & sicut oleum expeditos reddit Athletas ad pugnam; sic gratia in extrema unctiōe collata reddit animam agilem ad pugnandum contra dæmonem, in agone quam maximè infestantem. Et sicut panis vitam quidem non restituit, sed conservat & confortat, ità Eucharistia gratiam per peccatum mortale ablatam (per se loquendo) non reddit quidem (ad hoc enim requiritur absolutio in Sacramento pœnitentiæ) sed animam in bono solidat, & in bono conservat. Per metaphoram etiam intelligenda est Scriptura, dum Deo tribuit corpus aut partes corporis v. g. aures, os, manus, pedes, & actiones harum partium, ut respicere, videre, silere, loqui, odorari sacrificium, audire gemitus, & orationem, item vigilare, dormire, accedere, recedere longè, abesse: & affectus hominis ut irasci, lætari, dolere, pœnitere, oblivisci, recordari &c. nihil enim horum propriè Deo convenit, sed similitudine ab homine desumpta explicari necesse habent. Sic Spiritus S. apparuit in igne, in vento, in forma columbæ, ipse tamen propriè ignis non est, nec columba: sed sicut ignis illuminat & accendit, sicut columba mitis est, & sinè felle, ità Spiritus S. sic Ecclesia dicitur Civitas supra montè posita, mons Sion, Jerusalem &c. Apostoli piscatores hominum, lux mundi, sal terræ, ver-

bum Dei semen, falsi doctores lupi rapaces,
 timidi autem canes non valentes latrare: sic
 Herodes appellatur vulpes, Pharisei genimi-
 na viperarum, sepulchra dealbata &c. Hisce
 sufficiat tanquam digito viam monstrasse.
 Universim autem hæc servatur lex. i. Inqui-
 ritur an propriè seu in propria significatione
 vox accipi possit absque errore in fide, aut ve-
 ritate: quòd si non possit, inquiretur ulterius,
 cur hæc vox adhibeatur pro altera, vel hæc
 res alteram referat, & repræsentet? & depre-
 hendetur convenientia v. g. & relatio simili-
 tudinis, & constabit esse metaphoram. Quòd
 si autem sit convenientia effectûs, vel partis,
 & totius, &c. erit Synecdoche, vel Metony-
 mia, vel alius tropus pro diversitate connexi-
 onis de qua supra dictum est c. 8. & 9. Unde
 metaphora est in istis: vituli multi & tauri
 pingues obsederunt me: item puella non est
 mortua, sed dormit; quia importatur similitu-
 do in propositionis explicatione, nam milites
 qui Christum patientem exagitabant, erant
 petulantes sicut vituli, & feroces sicut tauri
 impinguati, & incrassati, obsederuntq; illum,
 sicut urbs obsideri solet, & circumdari, scili-
 cet arctè & undique; & sicut qui dormit, fa-
 cilè excitatur, ut ad se redeat, ita Christo ac
 Deo facilè est mortuum vivificare, vie-
 tæque ac sensui restituere.